

minus quam IIIIMXXV. Similiter videamus de annis, qui abinde usque ad nos defluerunt, qui secundum supputationem Bede superius comprehensam MCI ¹¹⁶⁾ sunt; quorum ultimus in tempore, sed primus in numero, scilicet nunc instans nobis certior et notior ceteris, quoniam habet epactas IV, concurrentem I, tertio anno post bissextum, et econtra primus in tempore, sed ultimus in numero scilicet MCI abhinc retrorsum, quoniam habet XXVI epactas concurrentes V tercio anno post bissextum, dominice passioni non congruentes, patet profecto quia nullo modo ad annum dominice passionis pertingunt. Unde restat ut tamdiu ascendamus, donec ad id quod volumus pertingamus. Quod pro certo fiet, si MCI proponamus XXXIV quorum ultimus tempore et numero habet XV epactas et IV concurrentes secundo anno post bissextum. Porro primus tempore et numero habet XI epactas et V concurrentes primo anno post bissextum omnimodo attingentes dominicam passionem. Habet quippe VIII Kal. Apr. secundum Iudeos, lunam XV. et feriam VI., qua Dominus passus est, VI Kal. Apr., lunam XVII. et primam sabbati, quam nos dicimus diem dominicam, qua resurrexit. Constat ergo quia a passione Domini usque nunc defluerunt anni MCXXXIV et quintus iam instat nunc, cum ego Heimo presbyter minimus fratrum in ecclesia sancti Iacobi apostoli Babinbergensis territorii hec scribo ^{a)}). Unde patet quia falluntur, qui annos ab incarnatione Domini ab eius nativitate vel conceptione, quando incarnatio cepit numerare inchoant, et non potius a passione vel resurrectione, quando incarnatio eius consummata est.

Cap. VI.

Quod ^{b)} (!) anni utrobique desint et ubi intercepti sint inquisitio ¹¹⁷⁾ ^{b)}).

His certe sic se habentibus si annos XL de supputatione annorum ab initio seculi subtractos XXXIII annis de numero annorum Domini subductis coniunxerimus profecto LXXIII annos de serie temporum per falsam ut reor cronographiam interceptos esse videbimus. Porro ubi intercepti sint, comitante Domino, qui est via et veritas ¹¹⁸⁾, inquiramus hoc modo.

Heimo geht also davon aus, daß Christus den Evangelien gemäß am Tag nach dem Frühlingsvollmond gelitten hat. Dieser Tag wird von

^{a)} conscribo A. ^{b)–b)} fehlt A.

¹¹⁶⁾ 1101 Jahre von 34–1135 n. Chr.

¹¹⁷⁾ Von I, 6 (Cod. T) an haben die Kapitel wieder Überschriften; vorher fehlten sie in der ed. post., auch zu Anfang des 1. Buches ist kein Kapitelverzeichnis gegeben. Sie stimmen inhaltlich jedoch mit den c. 1–5 der ed. prior überein.

¹¹⁸⁾ Vgl. Io. 14, 6.